

† R. P. Andreas Hamerle (1837-1930).

(*Prov. Vindobonen.*)

† R. P. Andreas Hamerle (1837-1930).

(*Prov. Vindobonen.*)

Ante diem IV Kal. Aprilis huius anni 1930 in collegio Philippsdorffensi animam vere pretiosam in manus Creatoris reddidit homo inter proceres Congregationis nostrae sine dubio numerandus, et quem post S. Clementem M. Hofbauer et Ven. S. D. Iosephum A. Passerat auctoritate et pondere facile primum in Provincia nostra Austriaca fuisse dixeris. Quamquam de iuvene pulmonum morbo correpto conclamatum erat, miro modo ac voluntate sua certe ferrea tamen sanatus aetatem S. P. N. Alphonsi duobus annis superavit longissimumque hoc vitae spatium operibus opplevit, quae unius hominis vix tribuere ausis. Sed haec melius clarescent, si ad singula vitae operumque eius narranda descenderimus.

Andreas Hamerle (ita ipse semper nomen suum scripsit, quamquam omnes e familia eius oriundi litteram *m* duplicare consueverunt) die 25 mensis Februarii anno 1837 natus est in Nauders, qui viculus est Tirolensis in superiore Oeni valle ad confinium Helvetiae et quondam Italiae situs, loco humili. Pater praediolum coluit et simul sutoris artem exercuit. Ast in Nauders nemo fere dives, nemo vere pauper fuisse videtur, cum magna agrorum silvaeque pars civium omnium esset fructusque earum rerum singulis patribus familias ad vitae necessitates tolerandas distribuerentur. In domo Hamerle vita disciplinaque catholica viguit, quod ceterum non solum de vico Nauders, sed de tota illa regione valere compertum est. Diebus dominicis festisque pater, antequam familia ad prandium assideret, liberos percontari solitus est, quid parochus in contione dixisset. Andreas.

olim, cum a sodalibus seductus ad contionis verba animum non advertisset, ideoque ignoraret, quid patri responderet, vapulavit. Sed semel tantum talem culpam eum admisisse comperimus, quamquam ingenium eius alacre a puerilibus iocis ludisque alienum non fuit. Duo fratres Andreae erant, duae item sorores. E quibus frater Leonardus Andream in Congregationem SS. Redemptoris secutus est, alter Aloisius, cum magistratui civili a secretis esset, aetatem fere Andreae assecutus est; cuius filius Aloisius etiam Congregationi nostrae nomen dedit. Soror una viro probo nupsit, altera in domo religiosa Zamsensi virginitatem Deo vovit.

Humanioribus litteris Andreas noster Oenipotenti, Hallae Bolzanique operam dedit. Nonnulla quidem traduntur, quae illo tempore iuvenili aetati eum concessisse et fortasse nimis indulsisse testantur, sed magistros, praesertim Bolzani filios S. Francisci, magnam in animum eius auctoritatem habuisse constat, ita ut postea sacerdos et senex magna cum aestimatione de eis loqueretur. Et ipsi Franciscani nostris tradiderunt Andreae auctoritatem inter sodales tantam fuisse, ut tamquam ducem sibi natum eum sequerentur. Discendi avidus non solum disciplinas in scholis obvias penetravit, sed praeterea linguis italicae, gallicae, anglicae operam dedit, quarum peritia, quamvis numquam eam iactaret, postea, praesertim cum, iam senex ad libros conscribendos accessisset, multum adiutus est. Cum studia humaniora ac philosophica absolvisset, anno 1859 bello italico exorto cum sodalibus suis amore patriae ductus ad fines eius tutandos militiam voluntariam secutus et defendendo vico patrio praefectus est. Sed nulli proelio interfuit belloque mox finito militiam bellicam religiosa commutavit. Erant tum in Tiroli a ter fere denis annis celeberrimi filii S. Alphonsi, qui recenti adhuc studio ardentes toti in missiones instituendas intenti erant, ita ut apud populum severorum poenitentiae praeconum nomine fruerentur. Ad hos itaque Andream, ut qui iam tum nisi ad summam rerum non tenderet, sua traxit voluntas. Admissus a Superiori Provinciae suos patriamque reliquit, quam semel tantum post multos annos revisurus erat. Die 24 m. Septembris a. 1859 Hamerle noster domum Katzelsdorfensem intravit, quae munificentia archiducissae



Mariae Teresiae, comiti de Chambord matrimonio iunctae, in monasterio quondam franciscali fundata et noviciatu nostro recipiendo destinata erat.

De noviciatu duo tantum rettulisse satis erit. Andreas, cum ad domum noviciatus venisset et scalas, quibus ad eam pervenitur, ascensurus esset, tabacum convolutum (*sigaro*), quod incensum fumans ore tenebat, correptum manu extinxit proiecitque «Hoc», inquiens, «erat ultimum». Et erat ultimum per omnem longissimae vitae cursum. Numquam enim exinde aduci potuit, ut tabaco utereter, cumque ipsi saepe homines proceres ac nobiles convoluta offerrent, semper excusando restitut ioco adiciens: »Ne nos inducas in temptationem!» Noviciatus Katzelsdorfensis cum severa Magistri disciplina et in domo Provinciaque post perturbationes civiles anni 1848 instaurata rerum vitae necessariarum vigenti inopia durus tum erat. Andream multa premebant, cui vel ipsa lectio ad mensam molesta videbatur, quod ne cibum quidem cum otio sumi liceret. At de reditu in saeculum ne cogitavit quidem. Cum enim duram illam vitae rationem se sustinere non posse existimaret, non egredi, sed Deum rogare constituit, ut se mori sineret. Exauditus est pro sua reverentia, sed ita, ut Christus Dominus exauditus est in Monte Oliveti, Deo eum confortante, ut sustinere posset. Et quis est, qui dubitet, quin Deus morum constantiam in eo probare atque confirmare voluerit, qua tot difficultates rerum a se perficiendarum superaret numquam desperans, numquam vacillans? Noviciatu itaque ad finem perduto, sed votis nondum emissis, cum sodalibus Mauternam in studentatum missus est, ubi primo studiorum theologicorum anno elapso die 1 Augusti a. 1861 votis religiosis Deo et Congregationi se obstrinxit.

Dum Mauternae in studia theologica incumbit, ii, qui tum eum noverant, tradiderunt Andream nostrum praecipue enituisse paupertatis religiosae et oboedientiae exemplis, discendi vero studio inter sodales omnes longe eminuisse. Ibi etiam praeter illas, quas iam diximus, linguas bohemicae quoque addiscendae operam dedit, pronuntiandi difficultatibus tiroensi imprimis gutturi arduae. Et quamquam contionandi colloquendique dexteritatem assecutus non est, in confessionali scientia linguae bohemicae Philippsdorfi in ultima aetate multum ei profuit. Sed omnibus viribus in studia impensis nimium fecisse videtur. Vix enim die festo S. P. N. Alphonsi a. 1863 sacerdos ordinatus erat, cum morbo correptus est haud levi. Mane quodam, cum paululum tussiturus esset, repente sanguinis copiam reddidit e pulmonibus prorumpentem, quae res cum saepius iteraretur, medici celebres Graecii et Vindobonae, ad quos missus erat, spem sanitatis recuperandae non adesse edixerunt. Haec ipse expertus post, cum Provinciae praeesset, a iuvenibus nostris ardorem studendi moderandum esse voluit et cuidam petenti, ut sibi post ultimum cubitum eundi sigum datum in libros adhuc assidere permetteret, respondit potiorem esse asi-

num vivum quam leonem mortuum. P. Hamerle autem medicorum etiam peritissimorum iudicia capitalia effugit. In domus Puchheimensis aërem mitiorem missus cura ibi medici doctoris Riedlinger, cuius nomen internos celebre est, sed inter artis principes non laudatur, ac medicamine singulari, cuius pars potior adeps caninus erat, ita sanitati restitutus est, ut tam longae vitae usque ad annum nonagesimum tertium laboribusque innumeris sufficeret. Sanitate igitur reciperata et studiis, quae intermisserat, confectis, cum contionibus, exercitiis spiritualibus, confessionibus audiendis operam dare coepisset, mox in collegio Puchheimensi virorum primum ac iuvenum, deinde etiam mulierum ad se concursum excitavit, ita ut integræ familiae, pater, mater, liberi, famuli famulaeque ad eius confessionale confluenterent. Quod homo etiam erga se severus atque gravis ad iuvenilem aetatem non convenire secum reputans iam de rogando Provinciali cogitavit, ut in aliam domum se transferret. Et Dei providenti voluntate de eo magna disponente id factum est prius, quam propositum exsequeretur.

Medio mense Iulio anni 1868 homo unum et triginta annos natus, quinto sacerdotalis ordinis accepti anno creatus est Magister noviciorum, quo primo gradu longa gravissimorum munera series inaugurata est, quae ei in Congregatione obeunda erant. Annos enim triginta tres continuos sive Magister sive Rector, sive Provincialis fuit ac deinde post octo annorum vacationem annos natus quinque et septuaginta denuo collegium Mauternense regendum suspicere coactus est. Ac primum quidem Katzelsdorfii duos annos novicios in vitae religiosae ratione eruditivit, anno autem 1870 noviciatum Eggenburgum translatum secutus est. Post secundum magisterii triennium anno 1874 simul collegii Eggenburgensis Rector creatus est. Sed utrumque munus P. Hamerle ideo sustinere non potuit, quia, quidquid agebat, totum perficere volebat. Magister in noviciatu, dum totam animam mentemque in novicios formandos impendere vult, Rector in labores apostolicos domus sibi commissae provehendos animum advertendum cognovit. Qua in re multum laboris impedendum erat, quia post bella annis 1859, 1864, 1866 gesta in turbidis temporibus, quae liberalismo in Austria grassante legesque Ecclesiae adversas condente secuta sunt, opus missionum repressum torpuit. Ut igitur hoc missionum opus provehere posset, id egit effectique, ut a Magistri munere liberaretur, cum anno 1877 iterum domum Eggenburgensem regere cogeretur. Rectoris autem imprimis industria ac virtute, cum vel ipsi sacerdotes de missionum ratione ac fructu docendi ad easque admittendas inducendi essent, evenit, ut duobus eius rectoratus trienniis missiones et renovationes a Patribus Eggenburgensibus habitae numerum centenarium longe superarent.

Primo vere anni 1880 P. Hamerle cum Provinciali P. Kassewalder Romam profectus, cum ad R̄num Patrem Mauron accessisset, gravibus verbis

exceptus est: Provinciam Austriacam novo spiritus ardore imbuendam ipsumque electum esse, qui hoc opus arduum et gravissimum in se susciperet. P. Hamerle laborem non recusavit. Miraculo sanguinis S. P. N. Alphonsi se praesente Neapoli in ecclesia B. M. V. de Mercede liquefacti recreatus et Apostolica benedictione Leonis XIII confortatus domum rediit et die 20 m. Iunii a. 1880 Provinciae Superior renuntiatus est.

In munere Provincialis id, quod Eggenburgi incepérat, primum in latiorem campum transtulit et diffundere conatus est. In missionibus Vindobonensibus principem semper partem habuit. Cum aliquando decem missiones simul per urbem habenda p̄aeparentur, alii autem Superiores, ut Societatis Iesu et Ordinis Praedicatorum, breve quoddam tempus, vel unius hebdomadis, sufficere censerent, P. Hamerle firmiter restitit evicte, ut eiusmodi missiones urbanae saltem ad quindecim dies protraherentur, qui mos deinde ad nostra usque tempora mansit. Sed praeter missiones alios quoque labores apostolicos cum munere Provincialis coniunxit. Cum in decima urbis regione sermonum cursum haberet, homines perditi in eum piosque coniuravisse videntur, et cum in suggestum escendisset, ac pro contione dicere coepisset, homo nequam eum secutus mortem minatus est. Lapidès quoque in praedicatorem coniecti sunt. At P. Hamerle placide exspectavit, donec tumultus sedaretur et contionem deinde, ac si nihil factum esset, prosecutus est. Eodem tempore nomen eius non in populo tantum, sed etiam inter proceres divulgabatur et homines nobiles Pragae ab eo sibi exercitia spiritualia haberi voluerunt.

Sed praecipua eius cura Provinciae provehendae erat. Qua in re mirum est, quantopere illis quattuordecim annis numerus domorum nostrarum auctus sit, dum ipse Provinciae p̄aest, praesertim si consideramus plus quam duabus decenniis, quae praecesserunt, nullam accrevisse. Iam anno 1881 nova domus in Dornbirn erecta est, triginta quidem fere annis post cum multorum dolore iterum relicta. Anno 1883 collegium in Monte Matris Dei prope civitatem Grulich et alterum Mosciscae in Polonia incepit, quo cum decem annis post secuto Tuchowiensi collegio eius, quae nunc est, Provinciae Polonicae fundamenta iacta sunt. Anno 1884 Bohemo-Budvicii et Philippsdorffii novae domus conditae sunt, mox in regione septima decima Vindobonensi (Hernals) nova domus cum ecclesia et aula conventibus publicis destinata aedificari copta et anno 1889 perfecta est. Praeter has septem novas domos in eius provincialatu Oeniponti collegium nostrum a vetere sua sede ad novam translatum est, cui domus et ecclesia a fundamentis constructa sunt, collegium Ketzelsdorfense in vicinam civitatem Zwittaviam translatum et ibi quoque domus cum ecclesia ampla aedificata est, ita ut haec duo collegia denuo fundata dici oporteat. In domo Puchheimensi nova et pulcherrima ecclesia aedificata est B. M. V. de Perpetuo Succursu dicata, in studentatu Mauternae, cum spa-

tia domus excipiendo maiori clericorum numero non sufficerent, Provincialis novam domum duorum tabulatorum adiecit, in Sacro Monte prope Příbram novam etiam domum quinque contignationum ad veterem residentiam addi curavit, Katzelsdorffii ad usus nostros parvam aedem sacram exstrui et in usum iuvenatus illuc translati partem domus ampliari et novo tabulato augeri fecit. Longam hanc operum sumptuosorum seriem considerans mireris forsitan, quod pecunia Provinciali non defuerit. At vero defuit. Sed omnia haec necessaria esse considerans, Deo confisus, aere etiam alieno se gravare non dubitavit, sub cuius onere ipse, etiam cum provincialatu exutus domui Hernalsensi Rector praeesset, diu gemuit. Haud raro quaerentibus, num aeris alieni curae noctu eum requiescere paterentur, se quidem bene dormire respondit, nescire se vero, num creditores dormire possint. Deus autem operibus eius ita benedixit, ut omnia servari et paullatim etiam aere alieno liberari possent.

Non minus vero quam externum incrementum Provinciali cordi fuit, ut Provincia et numero sodalium augeretur et spiritu genuino S. Alphonsi imbueretur. In noviciatum ab eo primum fortasse incautius, ut celeri gradu gens multiplicaretur, tam multi iuvenes admissi sunt, ut plus quam dimidia pars, praesertim eorum, qui e Polonia venerant, egrederetur vel dimitteretur, priusquam ad vota nuncupanda admitterentur. Nonnulli etiam votis emissis in studentatu Congregationem deseruerunt. Sed numerus eorum, qui fidem servaverunt, in dies magis crevit. Considerans autem Provincialis in gymnasiis publicis spiritum religiosum maioribus in dies periculis obici, Ecclesiam dioecesesque, quae in seminariis minoribus adulescentes litteris humanioribus instrui curant, qui cleri numero aggregentur, imitatus, secutus exemplum imprimis Provinciae nostrae Gallico-Helveticae, cuius iuvenatum in domo Operariorum inviserat, ipse quoque in Provincia sua pueris instruendis et ad vocationem nostram educandis iuvenatum instituit. Cuius fata, dum in domo Ketzelsdorfensi et Leobiensi, deinde Katzelsdorffii et ad tempus Bohemo-Budviciae variis diversisque consiliis constituitur, donec Katzelsdorffii tandem firmiter constitit, in Analectis nostris anno 1924, pag. 204 ss. legere licet. Ut autem iuvenatum iuxta leges austriacas in tuto collocaret, quibus cautum erat, ut tales scholae a magistro publice probato dirigerentur, Provincialis novo exemplo duos Patres in studia philologiae classicae in universitatibus Vindobonensi et Oenipontana incumbere iussit, quorum uterque et lauream philosophiae seu artium et docendi veniam adeptus est. Ita simul altero iuvenatu provisum est, qui mox cum lingua bohemica in domo Červenka erigendus et postea ad Provinciam Pragensem transiturus erat. In studentatu vero P. Hamerle induxit, ut clerici nostri studia primum humaniora ad normam gymnasiorum austriacorum cum examine maturitatis, quod dicunt, absolverent, deinde philosophicarum ac theologicarum

disciplinarum sub spectatis magistris scientiam acquirerent. Inter eos, quos ad lectoris munus vocavit, nomina sunt, quae magno semper numero habebuntur, ut Schwienbacher, Rösler, Freund, Leitner, Mair Franciscus, Moppert et Arnoldi e Gallia acciti aliqui non pauci. Ut autem non suotantum tempori, sed futuro quoque prospiceret, iuvenes Patres in facultatem theologicam universitatis Viudobonensis misit, qui laurea theologiae insigniti Mauternae lectoratum susciperent. Studiorum Mauternensium laus tum ita crevit, ut non solum Provincia Germaniae Superioris, sed etiam Anglica clericos suos complures annos in studentatum Mauternensem misserint.

Incrementum Provinciae ex eo cognosci licet, quod anno 1880, quo P. Hamerle provincialatum init, 11 domos, Congregatos 204 numeravit, anno vero 1894, quo eum in manus P. Schwienbacher successoris tradidit, 332 Congregatos in domibus 18 habuit.

P. Hamerle, ut erat ipse fortis et gravis, ita ab aliis quoque multum postulavit. Verum quidem est non omnes, quos ad munia in Congregatione obeunda idoneos existimaverat, opinionem eius comprobavisse. Sed quis est, quem numquam spes fefellerit? Nonnumquam etiam hunc illumve ideo promovit, ut fiduciae ostensione ad frugem meliorem eum vocaret. Cum ipse vere spiritu regularum observandarum plenus esset disciplinaque ascetica totus imbutus, idem ab aliis exspectavit postulavitque, fortasse autem subinde, quod sibi ipsi facillimum videbat, aliis quoque importune imponebat. Ita e. gr., ut iam diximus, cum ipse noviciatum ingressus tabaco fumando in omne vitae tempus penitus renuntiasset, ita ab aliis quoque constitutionem illam strictissime observari voluit. Imaginibus luce impressis solas communitates, numquam vero singulos Congregatos depingi voluit. Ipse vero in summa quoque senectute nisi dolo adduci non potuit, ut imaginem, quam huic vitae narranda apponimus, luce exprimi sineret. Quamquam igitur subinde et a nonnullis eius agendi ratio severa habebatur, tamen, cum anno 1894 Provincialis capitulo generali interesset famaque Romana attulisset id agi, ut Rector Maior eligeretur, in Provincia lamentantium voces auditae sunt, quod nobis tantus homo, cuius locum nemo explere posset, eriperetur. Et cum quindecim annis post iterum capitulum generale convocaretur, in provinciali capitulo primo scrutinio prior Vocalis electus est.

Capitulum generale Patrem Hamerle in Provincia quidem nostra reliquit, sed cum iam plus quam quattuordecim anni eius provincialatus praeterissent, mense Octobri a. 1894 successorem accepit dignissimum P. Ioannem B. Schwienbacher. Annos tum natus erat quinquaginta sex, neque quemquam putamus existimavisse P. Hamerle triginta sex annos adhuc victurum et quinque successoribus suis vita superstitem futurum, sub septimo moriturum esse. Sequenti triennio Rector collegii Hernalsensis

creatus est, ubi societas praesertim virorum, matronarum, iuvenum virginumque promovit memoriamque sui maximam reliquit, sed etiam in exercitiis spiritualibus laboravit.

Ita paulatim senectus appropinquaverat, quae vero confratri nostro otium non attulit, immo vero novam in animo eius industriam excitavit. Dum enim laboribus apostolatus occupatur, P. Hamerle subinde tantum in ephemerede sacrae eloquentiae inservienti contionem aliquam publici iuris fecit. Cum vero annorum pondere a magnis laboribus apostolicis paulatim retraheretur, penna assidue laborare coepit. Libellos primum inde ab anno 1896 edidit, quibus rem catholicam apologetorum more propugnaret, quique statim magno cum plausu excepti sunt. Cum vero a. 1898 Rector Leobium translatus esset, quo tempore in Austria magni animorum motus contra Ecclesiam catholicam coorti sunt, tessera a nefariis data, ut homines Ecclesiam desererent, P. Hamerle acerius etiam penna sua pro carissima Matre certare coepit et praesertim cum pastore quadam acatholico et cum sacerdote apostata Ferk, qui ad eos, qui veteres catholicos se iactant transierat, manus fortiter conseruit. Nec minus, cum famosus ille Grassmann theologiam moralem S. P. N. Alphonsi foede impeteret, P. Hamerle acri libello eum refutavit. Multi horum libellorum iterum atque iterum novis editionibus impressi sunt. Sed maiora quoque aggressus est. Iam anno 1897 sub titulo « Ecce Panis Angelorum » trium dierum cursus exercitiorum spiritualium in usum sacerdotum edidit, quem a. 1913 alter cursus secutus est « De magno caritatis paecepto » (*Das grosse Gebot der Liebe*). Uterque liber magna laude exceptus ad nostra quoque tempora identidem a sacerdotibus requiritur. Magnum opus de Summorum Pontificum rebus gestis (*Die Geschichte der Päpste*), quod annis 1907–1909 in lucem prodiit tribus voluminibus, magni laboris fuit, et quamquam 150.000 copiarum impressa erant, illud iterum imprimi oportuit. Contiones suas collectas duobus voluminibus edidit atque tertium rogatus adiecit. Contiones mensis Maii quoque edidit et Philippsdorfi, cum iam decrepita aetate vires fractas crederes, nova semper e penna eius prodierunt, uti a. 1920 duo libri de B. M. V. beatitudinibus (*Maria und die acht Seligkeiten*) et eius doloribus (*Die Schmerzensmutter unsere Trösterin*) et septem contiones quadragesimales. Ast omnia enumerandi deest locus. Adde tantum innumeris fere commentationes in variis ephemeredibus catholicis, ita ut vere dicendum sit P. Hamerle industriam usque ad aetatem plus quam nonaginta annorum admirandam fuisse.

Cum itaque scriptorem breviter ac nimis breviter perstrinxerimus, ad senectutis annos describendos revertamur oportet. Sodalis quidam testatur numquam se P. Hamerle tam laetum vidisse, quam eum anno 1901 Superioris perpetuis muneribus exoneratus esset. Ac primum quidem sex annos Leobii mansit, ubi se moriturum esse speravit. Sed eheu, ter adhuc mi-

grandum erat. Nam a. 1907 Consultor Admonitor Superioris Provinciae et Minister Hernalsii dictus est, annos natus septuaginta, ubi usque ad annum 1912 mansit, quo Mauternam Rector missus est. Quindecim denique ultimos vitae annos ab a. 1915 Philippsdorff ad aedes B. M. V. sub titulo Salutis infirmorum degit, in quod collegium, cum ei eligendi potestas facta esset, sub Dei Matris protectionem se contulit. Et cum domus nostrae in Čechoslovachiae re publica sitae a. 1921 a Provincia Vindobonensi dividerentur, a Provincia quidem matre non est seiunctus, sed in collegio Philippsdorfensi a se fundato mansit.

Restat, ut ultimorum vitae annorum lineamenta saltem perscribamus. Ac primum quidem mirandum erat robur hominis, de quo iuvene iam clamatum erat. Anno 1919, cum iam duo et octoginta vitae annos numeraret, pustularum morbum gravissimum facile superavit. Arthritis, qua a multo iam tempore cruciabatur, potius patientiae ei exercendae occasio fuit, quam ut operam eius impediret. Mirareris sane, quod homo sodales omnes longissime aetate superans recreationis tempore diutissime deambulabat et ceteris iam sedentibus pedibus subsistere malebat. Quamquam senectutis molestiae non defuerunt. Memoriae paulatim vegetudo eum destituere coepit, quare cum colloquendo aliquid dicere voluit, verba invenire non potuit. Aures quoque aegre servire coeperunt, quare in ecclesia confessiones audire non potuit. Primis enim annis Philippsdorffii in ecclesia, ad quam praeter locorum vicinorum incolas plurima peregrinantium agmina convenient, cum ceteris Patribus et de suggestu et in sacro tribunali laboravit. Cum autem iam neque unum neque alterum posset, confessiones in cubiculo bene clauso excipiebat, qua in re, quia multi etiam Bohemi convenient et pauci confessarii aderant, qui eis satisfacere possent, linguae eorum peritia multum ei profuit. Quo autem magis a labore externo corporis molestiis detinebatur, eo in dies magis spiritus amorque orationis in eo eluxit. Mane iam hora tertia cum dimidia e lectulo se erigebat totumque tempus usque ad meditationem communem hora quinta instituendam in oratorio precibus vacabat. Viam Crucis mane semper pro Patrum Fratrumque laboribus Deo offerre solitus est. In communitate, quia surdaster aegre audiebat, quae legebantur, hebdomadarium agere amabat. Sacrum facere numquam omisit, quamquam arthritidis dolores saepe vehementer premebant, magna cum devotione semper facere vius est. Bis unaquaque hebdomade, feria VI et sabbato, ultimam in ecclesia Missam sibi vindicavit, ut alios Patres his diebus magis occupatos exoneraret. Gratiarum actionem devotissime in oratione defixus ultra dimidię horam protrahebat. Officium divinum coram SS. Sacramento in oratorio semper recitavit, quotque praeterea horas coram amico suo in tabernaculo moranti insumpserit, nemo est, qui dicere queat. Reliquum tempus in ordinanda sua scripta librosque impendebat, semper aut orans aut laborans.

Subinde vero subitaneo quodam ardore corporis vires instaurante omnium admirationem movit. Ita, cum primo post bellum finitum tempore res in discrimine essent timorque incessisset, ne novis seditionibus omnia perturbarentur, Rector autem collegii exercitiorum sacerdotibus habendorum causa Grulichium prefecturus esset, P. Hamerle, confirmans in tali tempore Rectoris praesentia omnino opus esse, ipse statim eius loco Grulichium se mitti postulavit. Et sacerdotes eius sermonibus ita commoti erant, ut iterum anno sequenti eum sibi postularent. Sed postea quoque fere nonagenarius sive Philippsdorffii sodalium tertii ordinis S. Francisci, sive Cappuccinorum in propinqua civitate Rumburg exercitia spiritualia direxit. Quod vero maxime mireris, ultimo vitae anno, cum Magister noviciorum aegrotaret neque adesset, qui in quindecim dierum exercitiis ad novicios verba faceret, P. Hamerle etiam hunc laborem in se suscepit cygni, ut dicunt, cantum edens.

P. Hamerle, qui, dum aetas viget, severus saepe et asper videri poterat, senex mira comitate ac dulci quadam caritate refulsit. Sodales, quos ipse quondam in Congregationem admiserat, quorumque viam in religione straverat, cum eum inviserunt, ita excipiebat, acsi non illi Patri Hamerle, sed ipse eis gratias deberet. Nemo fuit, cui quidquam molesti memoria tenere videretur. Cum quondam in recreatione de quaestione theologica contentio orta esset, Pater quidam natu multo minor vehementiore commotione correptus in verba acuta in P. Hamerle prorupit. Dimidio autem horae post, acsi nihil accidisset, eum confessionis sacramentalis causa ad pedes suos procumbentem vidi. Alius Pater iuvenis brachium fregerat; P. Hamerle miseratione commotus, quod sacrum facere non posset, simulac paululum brachio uti potuit, maxima cum caritate ad altare ei assistere in se suscepit.

Talibus virtutum exemplis senex venerandus omnium corda ad se convertit. Quem olim Cardinales et Episcopi aequa ac proceres honore haberunt, cuius consilia tot homines egregii exquirebant, in abdita quasi solitudine contentus vitae exitum exspectavit. Magno sane gaudio affectus est, cum aestate anni 1929 R̄nus P. Generalis Philippsdorffium veniens paterna visitatione eum consolatus esset. Ast tum iam vitae cursus ad finem vergere visus est.

Anno 1929 P. Hamerle vesicae morbo correptus est, sed quae in eo erat animi virtus, mox iterum vires recipere visus est. Die 20 mensis Martii 1930 malum crevit. Sequenti mane surgens sacrum litavit, at mox lectum repetere coactus est, quem non reliquit, nisi cum corpus exanime efferendum erat. Ultimi vitae dies longa annorum serie digni fuerunt. Doloribus cruciatus patientiae exemplum praeclarum praebuit, ad ultimum halitum mentis compos, doluitque tantummodo, quod fratribus, qui eius curam

gerebant, molestias afferret. Orandi studium, quo vivens excellebat, in moribundo clarius etiam eluxit, cum oculi in Crucifixi imaginem conversi sufficerent, ut sincera veraque fiducia omnia sustineret. Quoniam ad altare iam accedere non potuit, maxima eius cura fuit, ut s. communione reficeretur, quam saepe saepius rogavit ac vix cotidie mane exspectare posse visus est. Ita S. Alphonsi filius orans tandem mane diei 29 mensis Martii a. 1930 animam vere pretiosam Deo reddidit. Corpus Congregatorum, sacerdotum populique maximo comitatu in coemeterium Philippssdorfense elatum est, ubi gloriam resurrectionis exspectat.



Corpus mortuum Patris Hamerle in lecto funebri
honorifice collocatum.